



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Vitæ Pontificum Romanorum**

Ex Antiquis Monumentis Collectæ

**Sandini, Antonio**

**Bambergæ, 1753**

CXXII. Sergius III. Anno Christi 904. Ludovici III. 5. Leonis Sapientii 19.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65464](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65464)

CXXII.

## SERGIUS III.

ANNO CHRISTI 904.

LUDOVICI III. 5. LEONIS  
SAPIENTII 19.

SERGIUS III. Benedicti filius,  
Romanus, ac Romanæ Ecclesiæ  
Presbyter, qui Theodoro II. sub-  
rogatus, mox ejectus fuerat, demum  
sultus factione Adelberti Tusciæ  
Marchionis, exacto Christophoro,  
Pontificatum anno 904. adeptus est,  
& Junio mense ineunte consecratus.  
(1) Acta Formosi confirmata à Theo-  
doro II. & Joanne IX. ex vetere in  
eum odio omnia pro infecto esse  
jussit. (2) Non est autem verosimi-  
le, quod traditur à quibusdam, For-  
mosi cadaver post annos viginti Ser-  
gii præcepto rursus erutum è sepul-  
chro. (3) Inde fortasse orta opinio,  
quod ipse antea fuerit Stephano VI.  
auctor istiusmodi sceleris perpetran-  
di: qua etiam de causa Sergio, non  
Stephano illud facinus adscripsisse  
Luitprandum, docet Baronius. (4)  
Eidem Sergio consuetudinem fuisse  
cum Marozia, (5) ex eaque filium

Bar. an.

908. 9.

2. 5.

Pag. an.

904. 9. 5.

6. 7.

K k 3

pro-

procreâsse Joannem nomine, Luitprandus memorat. (6) Cæterum hoc laude dignum Sergii, quod Lateranensem Basilicam terræ motu labefactatam instauravit, instauratæque ornamentis aureis argenteisque decoravit. (7) Diem obiit anno 911. extremo mense Sextili, cum annis septem & menses tres in Pontificatu fuisset.

### ANNOTATIONES.

(1) Vide annotat. 2. ad Formosum.

(2) Bellarminus *De Rom. Pont.* lib. 4. cap. 12. *Ex his Pontificibus inter se contrariis necessario aliqui errant, ut observârunt Magdeburgenses.*

*Respondeo, errasse Stephanum VI. & Sergium III, sed in questione facti, non juris, & malo exemplo, non falsâ doctrinâ.*

(3) Sigonius *De Regno Italiae* lib. 6. ad an. 904. pag. 246.

(4) Ad an. 897. §. 3. *Hucusque Luitprandus, Sergio factum sacrilegium adscribens, quod ipse fuerit ad illud perpetrandum antesignanus & auctor.* Vide annotat. 1. ad Stephanum VI.

(5) Vide annotat. 1. ad Landum.

(6) Lib. 2. cap. 13. apud Baronium ad an. 908. §. 5. apud Duchesnium tom. 3. pag. 584. 7 Jo.

(7) Joannes Diaconus in libro *De Ecclesia Lateranensi* cap. 17. apud Mabillonium tom. 2. Musei Italici pag. 575.

CXXIII.

ANASTASIUS III.

ANNO CHRISTI 911.

LUDOVICI III. 12. ALEXANDRI 1.

**A**NASTASIUS III. Luciani filius, post unum aut alterum diem à morte Sergii III. successor eadem datur. *Modeste & integrè vixit*, ut ait Platina, *nec in se quidquam habuit, quo reprehendi posset.* Sigonius dicit, eum, postulante Berengario Italiae Rege, Ticinensi Episcopo indulgisse *adhibenda umbella, equo albo vehendi, Crucis preferenda, & in Concilio à lava Pontificis assidendi.* Regnavit annos duos, ac totidem ferè menses, anno 913. dimidio mensis Octobris jam exacto vitâ defunctus.

Bar. an.

910. §. 1.

Pag. §. 1.

De Reg.


Ital. l. 6.

pag. 247.

Bar. an.

912. §. 1.

Pag. §. 1.



Kk 4

CXXIV.